

tum doctrinâ eâ petenda sunt; dum ex jam sæpius dictis patescunt: pro eorum enim naturâ, symptomata hujus affectus variare multum, non semel jam enarravimus.

APHOR. XII.

Prognostica de affectu hoc quæ ferri possunt: vel de eventu ejus judicant; vel tempus eventus indicant; vel quò evasurus sit affectus, monstrant.

χόλιον.

Cum non immeritò antequam curationem affectus alicujus Medicus suscipiat, consideret; num is eam admittat; vel causa ejus talis sit, quæ abigi ac extirpari possit: ne morbo incurabili adhibitis generosis medicamentis, apud vulgus ea infamet, ut Gal. l. ii. meth. med. c. 9. ait. Et nos, quæ in præsentī affectu, nobis concipienda sit spes, dispiciamus. Quæ verò de eo feruntur prognostica, ex lisdem, ut signa diagnostica, sumi possunt fontibus. Si CAUSAM itaq; ac mēram primò affectus hujus consideramus: esse humorem pertinacem, crassum ac refractarium, invenimus; qui etiam medicamentorum satis validorum ac generosorum vim, interdum eludit: ex quib9, curatu ita facilem eum non esse, quisquam haud difficulter conjicere poterit. Et quo magis adustus ille est, ac atræ bilis naturam induit, eo magis medicamentorum viribus resistit; præsertim ita validam si nactus sit dispositionem, quæ alios quosvis humores obvios sibi, in sui convertat naturam. Nec hoc difficultatem curationi levem infert, quod ut dictum supra, apb. 9. humor iste tam diversæ naturæ sit, exq; partibus crassis ac tenuibus constet; quæ magnam indicationum faciunt repugnantiam, diuturnamq; reddunt curationem. Quo verò mitior humor existit, benigniorisq; naturæ, eo facilius ejus est extirpatio. SUBJECTI rationem si habeas: certè, quo plures laborant, partes, quoq; fortius dispositionem illam impressam habent; vel Hæreditarium malum sit: quosque pejus afficiuntur, eo gravius malum est, ac difficilioris curationis. Cum verò ut dictum supra, viscerum inferioris ventris ἀντιπράξια in eo semper detur, eaq; mali hujus pertinacis causa potissima sit; conjectura erit haud difficilis, quam operosa ejus sit curatio. Dum enim uni succurre-

re vo-